

finita, sed suos habet limites: iique in variis imo iisdem hominibus, ob temperamentum vel innatum, vel ex consuetudine, aut ex alia causa acquisitum, sunt varii: Atque hinc *possunt alii magis, alii minus affectus suos frenare.*

X. Quamvis autem *spirituum animalium motus*, à temperamento vel objectis ortus, sæpissime valde sit fortis; attamen ille, à mentis, *per consuetudinem* cum cerebro ex impressione quorundam observatorum axiomatum roboratæ, vel interdum etiam subito ex affectus alicujus notis repente impressis mutatæ vi, sæpissime magnam partem *potest superari*, vel totaliter mutari, & *alii affectus in nobis queunt excitari.* Atque hoc in timidis, castra & alia loca periculosa diu frequentantibus, & inde fortitudinem acquirentibus; & in iis, qui, rem aliquam, quâ antea delectabantur, subito valde fordidam vel fætidam percipientes, ab illa postea penitus abhorrent, est manifestum.

XI. *Fortitudo* itaque *vel debilitas mentis* in eo consistit, quod mens spirituum motum magis vel minus, pro arbitrio suo, determinare possit.

XII. Quoniam autem spiritus, pro varia nostri judicii cogitatione, varie à mente determinatur, atque inde varii oriuntur affectus, idcirco *diligenter attendendum, ne inter judicandum fallamur, & ita pravam spirituum determinationem ac consequenter pravam & inconvenientem in nobis affectum excitari patiamur, &* si pravus affectus ex pravo judicio jam fuerit ortus, *laborandum ut mox mutato judicio determinationem spirituum immutemus, & ita contrario affectu priorem corrigamus, vel mentem ad alia convertamus.* Ita ex. gr. iram possumus præcavere vel compescere, de re alia cogitantes, vel judicantes rem esse contemnendam, quia nimirum vel nullam, vel exiguam injuriam infert.

Atque hinc Lucretius, de affectibus, ex vitioso judicio ortis, loquens, ita ait:

*Quid.*